

*Catalogus*

*Hermannus*

*Catalogus digestt.*

*I. I. S. Semler.*

1. Obss. super 2 Timoth. III. et II.
2. Passionis VII. locutio tractent. exemplum.
3. De Regeneratione monastica.
4. de prestantia theos. aromatico pro sa-  
dicta biblica.
5. de infelicitate hominum praesenti.
6. de Christi ad Albgarum epistola.
7. de imagine divina in humana esti natura.
8. de mysticarum interpretationum studio.
9. Antiquitatum heremeticorum et testim. spec.
10. de tempore quo scripta fuisse epistola Pauli  
ad Galatas.
11. Abantigalos facie, de quibus agitur Act. XIX. 5
12. de propaganda per pontificium inter Germanos  
ref. christi.
13. de discrimine nationum vulgarium et  
christianorum in libris A. T. obseruant.
14. In Acta. I. 16.
15. de cauenda molestia sedalitate sacra.
16. In Lut. I. Gabrielum spir. p. non est.
17. Iesum Christianum esse Iudeo actione operum  
Iacobum et operum bonorum. Act. II.
18. Illustratio antiqui carminis ex euangelio  
Hebreorum.
19. Se vario et impario veterum platio in recolita  
da historia descriptus ad inferos.
20. spirituum si recte destricti personam.
21. de festoburou et euangelio Hebreorum.
22. de discrimine inter iugurthas et Maccabaeos.

*II. I. A. Neßelt.*

23. Singularis prouidentiae divina in pace  
religionis vestigia.
24. de discernentia propria et tropica dictione.
25. de latent patrum grecorum in novant.
26. in 1. Cor. II. 20 et 27.
27. indepr. cantiones anglica Luc. XI. 14
28. de Christo nomine regnante.
29. Deum auctoritatem divinam religionis Christi  
conformat sequis maioribus legistratione  
scriptis.
30. ad Hebr. II. 11.
31. in 2 Cor. III. 17.
32. ad Num. XXVIII. 17.
33. in Joh. XII. 20-23.
34. de vera rei nomini filiorum dei.
35. In 2 Thessal. II. 1-12.
36. In Joh. XII. 1-17.
37. In Joh. XII. 12 - XII. 33.
38. Cologn in deo lign ual N. 31. - 74.
39. Quartuor 2 Cor. IV. 6.

Nf. 129.

*34* 35  
IO. AVG. NOESSELTI

DE

VERA VI NOMINIS  
FILIORVM DEI

DISPV TATIO

ACADEMIAE HALENSIS NOMINE  
IN SOLLEMNITATE PENTECOSTALI

SCRIPTA.

---

HALAE MAGDEBURGICAE,  
FORMIS HENDELIANIS A. MDCCCLXXVIII.



**V**aria sunt et pluribus e rebus quasi concreta beneficia ea, quorum memoriam repetere hoc maxime tempore debemus, quæque Sacra Scriptura uno illo amplissimo nomine *Spiritus Sancti* hominibus a Deo tributi complectitur. Sed ea referri ad duo genera possunt. Nam quem ad modum Deus Apostolos ceterosque religionis Euangelice doctores sive ornauerat afflatus quodam suo sive facultate miraculorum edendorum locupletauerat, ut doctrinam virtutemque Christianam propagarent, sic & illud, quod erat doctorum proprium, & hoc, quod ceteris proderat Christianis, habendum est in beneficiis, quae illo *Spiritus sancti* nomine continentur. Ac illud, etiam si nihil ad nos ipsos pertinet, nullo modo contempnendum negligendum videtur. Neque enim nos ipsi hodie caperemus fructum doctrinae Apostolicæ, nisi illis tum temporis iste diuinus afflatus contigisset, quo ad omnem veritatem diuinam dirigerentur, & careremus significatione diuinæ auctoritatis huius doctrinae ea, quæ per miraculorum magnitudinem facta est. Quod si tamen in constituendo cuiusque rei pretio id potius existimandum est, cuius causa cetera effecta fuerint, et quo illa, tamquam ad finem beneficiorum diuinorum, referenda sint; si porro nos maxime sequi debemus id, quod nostram salutem attingit, omniaque in usum nostrum convertere: non potest dubitari, hoc nos maxime beneficio gloriari debere atque ad hanc felicitatem contendere, ut, cum ii, qui *Spiritu sancto* moueantur, filii sint Dei, hanc *filiorum Dei* nomen cum dignitate ueamur.

Placet enim, praeeunte Paullo ad Rom. VIII, 14, quidquid est verae dignitatis Christianorum, hoc uno nomine comprehendere, cum & omnia, quaecumque, si fuerint in homine, spem faciant certissimam salutis consequendæ, & illam ipsam felicitatem, complectatur. Nam, si filii sumus Dei, ut ait idem ille Paullus v. 17. etiam *λαγονίους* erimus h. e. Dei & Christi felicitate similes.

Demus igitur operam, vt, quæ vis sit huius nominis, diligenter inuestigemus, ne, interpretationis errore decepti, aut spem illam, sine qua tranquillus ac beatus animus non potest esse, relinquamus, aut, cum iniuria hoc in nos nomen transtulerimus, spei vanitate deludamur. Semper enim in hoc errauere homines, vt, cum Sacrae Scriptura verorum Christianorum proprietates variis nominibus, tropis præsertim, expressissent, vt est ingenium humandum vel ad arrogantiam magis vel ad timiditatem proclive, non modo, vim verborum assediti, peruerse in se, quæ longe aliis dicta essent, transferrent, sed saepe ne vim quidem ipsam illorum verborum assequerentur. Quod si quis ita errauerit, vt illud illustre filiorum Dei nomen male ad se accommodauerit, quo modo talem reducant in rectam viam, videantii qui in tractandis Christianorum animis moribusque formandis versantur; nos quidem hac opportunitate hoc vnum tenebimus, vt, tamquam interpres, veram huius nominis potestatem & quasi ambitum paullo accuratius, Scriptura duce, perseguamur.

Profuerit autem in principio huius disputationis obseruasse similes loquendi modos, quos Ioannes Apostolus frequentat in primis, vt unius sensu percepto, alterius etiam de interpretatione constet, et similes formulae huius beneficio ab opinionis temeritate vindicentur. Ac dubium quidem esse non potest, ἐν τῷ Θεῷ εἶναι, ἐν Θεῷ γέννθηναι Io. I, 13. I Io. IV, 7. itemque εἶναι ἐν τῷ Θεῷ v. 6. nihil inter se differre. Eiusdem generis est illud ἀναθετε γέννθηναι Io. III, 3. quod eti plerisque interpretibus videretur nouitatis notionem continere vt sit iterum nasci, quem quidem sensum Nicodemus ipse huic vocabulo subiiciebat, tamen & v. 31. perspicue ἐπιστέλλεται εξέργεος disiungitur ab eo qui est e terris, vt diuinæ originis significatio negari huic formulæ non possit, & claram est e loco simili c. I, 13 coll. c. III, 6. diuinam magis quam nouam generationem hac formula adumbrari. Quamquam, si de rei, non verborum, similitudine queritur, non modo damus sed

sed etiam profitemur, ἀναγέννησιν aut παλιγγενετιαν i Petr. I, 3 et Tit. III, 5. eandem Christianorum sortem conditionemque declarare. Hoc quidem in Paullino loco v. 7. eadem vis atque effectio τῆς παλιγγενετιας tribuitur, quae in alio Rom. VIII, 17. τῇ νοθεστιᾳ, vt per eam reddamus κληρονόμους καὶ ἐπίδαις ζωῆς αὐτοῦ, et in illo superiori Petri Apostoli ἀναγέννησιν dicimus eis ἐπίδαις ζωῆς. Cuius loci comparatio cum iis quae ibi sequuntur (licet enim id obiter dicere) et ἐπίδαις ζωῆς docet nihil aliud esse quam ἐπίδαις ζωῆς; nam, præter similitudinem cum verbis in loco epistola ad Timum, v. 4 commemoratur κληρονομία ἄφθατος, τετηγμένη ἐν ἀγανάκτῃ, ac v. 5. σωτηρίᾳ conspicua futura extreme tempore, et translationem, quae est in ἀναγέννησι vocabulo non, quod multis iisque doctis viris placet, e Proselytorum Iudaicorum disciplina ductam esse sed a similitudine cum ortu hominis naturali, quod versus 23 non minus quam is apud Ioannem locus I, 13. confirmat. Eodem denique sensu Christiani dicuntur ii, in quibus maneat Deus aut habitet, aut qui maneat in Deo eique addicti sint, quod dicendi genus itidem Ioanni Apostolo familia re est. Etenim in loco Ieremie, quem Paullus excitat 2 Cor. VI, 16 sqq., formulæ istæ, ἐνοικίῳ ἐν αὐτοῖς καὶ ἐμπεριπατήσω, itemque, ἔσομαι εἰς πατέρας, καὶ ὑμεῖς ἔσοδε μοι εἰς νίδας καὶ θυγατέρας, ista igitur formulæ inter se permutantur; quemadmodum is qui credit ac profitetur Iesum esse Dei filium s. Christum, in uno Ioannis loco ep. I. c. IV, 15, in Deo manere, in altero V, 1. e. Deo natus dicitur.

Iam, vt ad eorum, quae illustranda proposuimus, disputationem veniamus, satis constat inter omnes, consuetudinem Ebraeorum, quamcunque coniunctionem, assumto *filiorum* nomine exprimere solere, vt *filius mortis*, homines morte digni, *filius resurrectionis*, in vitam restituendi, *filius Sionis*, pueræ Hierosolymitæ, sint, et cum quis *filius* naturæ cuiusdam intelligentis dicitur, veluti cum *filiis Phariseorum*, *filiis Abramini*, *filiis Diaboli*

appellantur, quandam inter illos horumque filios, mentis, doctrinæ, fidei, morumque similitudinem. Qua consuetudine loquendi efficitur, eandem rationem esse nominis *filiorum Dei*. Sed, quoniam quæri potest de eo in quo sit ista similitudo, & oportet cuiuslibet similitudinis quandam quasi esse descriptionem, cuius terminis septa comparatio teneatur, requirenda sunt dicta Scripturarum, quorum vna auctoritate doceatur, quo debeamus contendere, si digni esse tanto nomine velimus. Ac ea similitudo Dei cum variis rebus ceraatur, habeatur non in uno loco eandem, quam in altero, formam: non modo vniuersae definienda est quasi regio, cuius finibus omnis nobilissimi huius nominis ambitus circumscriptus reperiatur, sed etiam accurate sunt discernenda loca Scripturarum ipsa, ne miscentur descripti termini, aut nomini tribuatur vis ab illo quidem, de quo quæritur, loco aliena.

Habet autem hoc nomen filiorum Dei, primum hanc vim, ut quicunque animatus sit sicuti Deus, eique in amore virtutis veraque sanctitatem, eius studio certe, similis, is hoc nomine ornatur. Namque si, ut hoc vtr, *amamus inimicos nobis*, bene dicimus male dicentibus, *benefacimus iis qui nos oderint*, deprecamur pro iis qui nos lacestant & vexent, tum sumus, ut ait Christus Matth. V, 45. *filiū cælestis patris nostri*, qui solem producit suum malignis pariter lucentem ac bonis, & pluviam in probos homines æque ac in impios demittit; & Iohannes ep. I. c. II, 29 si cognoverimus Christum probum esse, iubet intelligere, omnem, quicunque recte egerit, ex eo natum esse, quemadmodum c. III, 8 eum, qui peccato det operam, profiteretur, e diabolo esse h. e. eius imaginem male agendo referre. Nec alio sensu vel Petrus ep. 2. c. I. 4. nos compotes factos dicit naturæ diuinæ, ut postea, enumeratis variis virtutum generibus, explicat, vel Paullus Ephes. III, 24. nouum hominem ad Dei similitudinem creatum interpretatur vera probitate sanctitatemque excellentem.

Ne.

Neque vero alienum purabitur ab instituta disputatione obiter de loco Ioannis dicere, qui, ut Christum in loco epist. I. c. III, 5. omnis peccati expertem dixerat esse, sic v. 6. omnem, quicunque in eo manserit, peccare, et, qui peccatum fecutus fuerit, eum recte cognovisse Christum, negat, itemque nullum filium Dei, v. 9. profiteretur, vñquam peccare, ac ne peccare quidem posse, propter ea quod sit e Deo natus. Quorum verborum sententia mirum est quam torserit interpres, vt vel defenderent quæ essent naturæ aut vñui quotidiano aut ipsis Apostoli verbis c. I, 8. II, 1. contraria, vel mitigare sensum ac emollire acutis distinctionibus cuperent. Quamquam quid est duri aut inepti in istis verbis, si modo ipsum Ioannem audiamus? Namque c. V, 18 illa, nullus peccat qui natus est e Deo, perspicue declarat sic: ἐν γε ἐστιν ἡ τὸν σὲ, sibi cauet a peccatis, fugit peccata, nec aduersarius ei nocet quidquam h. e. non porerit ad peccandum impellere, vt facile sit ad intelligendum, ἀπαράντειν non esse peccare, sed, non fuge-re peccata aut odise, nec Ioannem inter filios Dei ac diaboli hoc discrimen statuere, vt illi numquam, hi semper, male agant, sed vt isti studiosi virtutis sint, vel, vt c. III, 3. loquitur, Christum sanctitate imitari studeant, hi non dent operam vt se se a pecando cohibeant.

Atqui, cum huius studii fugiendorum peccatorum, quod sit in filiis Dei, hanc caussam esse profiteatur c. III, 9. quod semen Dei maneat in istis h. e. quod, tamquam normam agendi, sequantur diuinam doctrinam, coll. I Perr. I, 22 sqq., id nos deducit ad alteram rem, quam nomen filiorum Dei complectitur, minus agnitam illam ab interpretibus, qui solent in una illa superiori significatione sanctitatis animorum acquiescere. Sed istud nomen etiam in Scripturis referri ad rectam cognitionem, filios que Dei esse qui didicerint atque teneant Christi doctrinam, Ioanni certe, qui creber est huius significationis frequentia, loca eius quam plurima perspicue docent. In Euangeli quidem capite I.

vbi

vbi Christus v. 9. verum appellatur *lumen*, quod, dum in terra-  
rum orbem venit, cuiuscunque generis homines illustrauit, quicun-  
que eum admiserant, iis data, dicitur v. 12. *ius filiorum Dei*, non  
quo pietatis studiosi essent, sed quod admitterent istud lumen,  
*fidemque huic doctori haberent*, τοῖς πιστεύσαντις τὸ ἐρωταῖς θεοῦ,  
plane quemadmodum Gal. III, 26. omnes dicuntur filii Dei propter  
*fidem in Christum Iesum*. Porro i Io. V, 1. omnis, qui credit Is-  
sum esse Christum, natus a Deo dicitur, quod nemo non in-  
telligit ad rectam doctrinam referri, quem ad modum c. IV, 1 seqq.  
τὰ πνεύματα quae sunt e Deo clare disiunguntur a peruersis docto-  
ribus, & v. 6. formulæ, γνώσκειν τὸν Θεόν ac εἶναι ἐν τῷ Θεῷ, in-  
ter se substituuntur, utriusque autem formule vis ponitur in eo,  
quod, qui tales sint, audiant Apostolos, nec se auferri a fraude  
aduersariorum doctrinae Christi patientur. Nec in quibusdam locis,  
quæ Deum, Christum, Spiritum S præ se ferunt *habitare* in Christianis,  
hæc formula aliam in sententiam interpretanda videtur. Quod si  
enim Col. III, 16. doctrina Christi *habitare* debere in Christianis dici-  
tur ut conformientur ad veram sapientiam, quidni ad Ephes. III,  
17. ὁ Χριστὸς ὁ κατονόμος ἐν ταῖς καρδίαις de Christi doctrina simi-  
liter accipiatur, cuius studiosi sint? præsertim, cum id fieri dicta-  
tur per fidem, & omnis orationis Paulline series in cognitionis in-  
cremento veretur. Atqui nec aliter acciperem illud μονὴν πονητὸν  
in verbis Christi Io. XIV, 23. e quibus permulti nescio quam sin-  
gularem eamque mysticam unionem extorserunt atque cooperant  
etiam de quadam substantia diuinæ approximatione contentiose  
disputare. Quæ sunt ab isto loco alienissima. Namque Christus  
planissime dixerat v. 21. *Qui servat præcepta mea, is est qui me  
amat, isque amabitur a patre meo, et ego amabo eum meque  
ei offendam* (εἰ μηδὲν τινῶ ἐμαυτὸν). Enimvero v. 23. eadem  
ipsa verba repeatit, nisi quod pro illis, εἴπερ δι. εἴπερ. substituat ista,  
de quibus quaerimus, μονὴν πολὺς θεοῦ παντούς, ut dubitari nullo  
modo possit, in his verbis non aliam significationem esse quam  
τὰ εἰμαντοῦ h. e. incrementi rectæ cognitionis. Quem Christi  
ser-

sermonem si volumus sequi, magis, ut par est, quam scholarum libellorumque mysticorum commenta, intelligetur Io. XV, 2. *purgationem* non esse ad Mysticorum disciplinam interpretandam, sed de doctrinæ effectione, qua animus magis magisque ab infictiæ erroribusque purgatur doctrinarumque diuiniarum vbertate imbuitur. Nam quem ad modum v. 2. πᾶν τὸ καὶ οὐ Φέρεται est pro omni qui recte agit secundum Christi disciplinam, vel, ut Christus supra loquebatur, doctrinam recte agendo obseruat suam atque ea re amorem Christo probat, sic Deus καθαίτης dicitur talem, ἡνα πλεῖστα καὶ οὐ Φέρεται sensu eodem quo c. XIV, 23 erat μονὴν παρὰ αὐτῷ ποιεῖ i. e. pro rectæ cognitionis incrementis, quae et ipsa augeant recte agendi vberatem. Et vero eriam Christus id ipsum declarat per ea quæ sequuntur, quorum vim nullæ argutiae humanae peruerterent: *Vos iam puri sis propter DOCTRINAM quam vobis proposui.* Hanc tenere, id est, manere in Christo v. 3. *vt Christus in nobis manet*, propter ea quod Christus pro hoc manere in se v. 7. substituit: *doctrinæ meæ s. sermones manent in vobis; nec alio sensu videtur dicere v. 5: Sine me nihil potestis facere h. e. non recte agere nisi mea doctrina ducti.* Haec tenus quoque, ut mihi quidem videtur, Israelitis tribuitur ἡ νοοθεστα Rom. IX, 4, quæ ibi cum illustri præsentia Dei (τῇ δοξῇ), foederibus, legislatione, cultu, promissionibusque coniungitur. Etsi enim non nego, plura quoque e genere beneficiorum præter rectam doctrinam Israelitis diuinitus traditam, hoc nomine contineri: tamen ad pietatem in Deum & animum moresque Deo probatos non magis trahi potest, quam nomen sanctæ gentis Dei & similia, et, quatenus Israelitis hoc asseritur vniuersis, haec, quæ sunt in hoc nomine, beneficia, ad rectam doctrinam quam maxime referenda sunt.

Teneamus igitur, est enim ad id quod, propositum erat, reuertendum, dici filios Dei eos, qui vel amplectantur rectam doctrinam vel ei se bene agendo accommodateat, sintque Dei vel

sapiencia similes vel virtute; quæ utraque formulae vis est in re-  
cta animi nostri conformatio[n]e. Sed quem ad modum is qui ita  
similis est Dei, non potest non esse beatissimus, sic itidem nomen  
filiorum Dei transfertur ad hanc beatitatis similitudinem. Hæc  
est αποκαλυψις τῶν νῦν τε Θεῶν Rom. VIII, 19, quæ & ipsa νο-  
στος dicitur v. 23. poniturque ibi a Paullo Apostolo in απολυτερού-  
ση τε σώματος, liberatione ab hoc corpore nostro, ac potius ab illo  
contextu peccatorum prauarumque libidinum, cuius sub mole veri  
Christiani ingemiscant, ut a Ioanne ep. I. c. III, 2. in eo quod,  
qui iam sumus Dei filii, tum illustrandi simus h. e. Dei similes  
futuri, ut qui cum conspectu simus talēm qualis est. Quorum  
postremorum verborum sensus satis perspicuus reperiatur, si  
quidem non exigatur ad verborum notationem arque spissius ex-  
plicetur, sed ad Ioannis ipsius verba illumque similem Paulli locum ac-  
commodate. Namque is similes nos Dei futuros profiterit; quæ si-  
miludo quoniam v. 3. proponitur tamquam ei ad quam contendere  
sanctitatis similitudine debeamus, quæ potest esse alia nisi  
beatitatis verissimæ similitudo? Ac illud: ὁ λόγος ἀπέδει πάθος  
էι, illustratur verbis Paullinis, quæ in illo eius loco sequuntur,  
vbi spe, inquit, felices sumus, spes autem, quæ cernitur, spes  
dici non potest. Ex quo exigit hoc, quod, quoniam fide, non  
adspicere, pascimur in his terris, ut Paulli verbis vtar 2 Cor. V, 7.  
Deum olim dicamur talēm visuri qualis est, hoc sensu, quod  
hic spe ac fide, tamquam per nebulam aut speculum eius velut  
imaginem, tum vero ipsum eum, tamquam coram contueamur  
i. e. eius suavitate liquidissimaque felicitate cum eo fruamur, ut  
videre alias de fructu & usura usurpatur.

Possunt per hæc, quæ diximus, varia nullo negotio intelligi, in  
quibus definiendis aut explicandis diffentire Theologi inter se solent.  
Nam, quid sit regeneratio? quis eius agnoscendæ aut consequen-  
dæ modus? quis Spiritus sanctus, is nimirum qui datus Christia-  
nis sit, aut cuius e praefentia ac sensu intelligatur quinam sint  
filii

filii Dei, quam item certa spes futuræ felicitatis? quo modo vel  
 ii instituantur vel moueantur a Spiritu Sancto? hae, inquam, et  
 quæ sunt aliae huius generis questiones, facile, nostra quidem sen-  
 tentia, constituentur, si ea, que ante dicebamus, obseruen-  
 tur, nec aliam sequamur regulam huius rei iudicandæ, præter  
 Scripturas Sacras, nec audeamus ultra hanc regulam sapere. Qua-  
 re, et hoc commentationi Vestrae, CIVES ACADEMIAE NO-  
 STRAE HUMANISSIMI, committimus, siquidem hoc ipso stu-  
 dio proprie continetur studium inuestigendarum Scripturarum,  
 in quo per hos dies, quibus memoriam Spiritus Sancti hominibus  
 collati celebramus, diligentia nostra versari vnde maxime deberet,  
 et Vos hortatur etiam atque etiam, ut omni studio ac preci-  
 bus contendatis ad felicitatem eam, qua fruuntur quicunque non  
 modo se filios Dei profiteantur, sed ipsam quoque vim augustissi-  
 mi nominis et sentiant & recte agendo sperandoque sequantur.  
 Quibus autem exquisitoribus aut ad alendam pietatem vberiori-  
 bus verbis exprimeremus vim τῆς ὕιοθεστας aut παλιγγενεστας vni-  
 uersam, quam aureis illis Paullinis Tit. II, 11 sqq. quibus huius  
 felicitatis naturam in simili loco c. III, 4 sq. commemoratam in-  
 terpretatur: *Conspicua facta est benivolentia Dei saluberrima  
 hominibus uniuersis, quæ docet nos, contempta impietate terre-  
 nisque libidinibus, sapienter, et recte & pie viuere per hanc  
 vitam; itemque expectare beatam spem & illustrationem glori-  
 ae optimi maximi Dei et salvatoris nostri Iesu Christi, qui se ipse  
 dedit (morti) pro nobis, ut nos liberaret ab omni peccato, sibique  
 sacrum redderet proprium populum, recte factorum studiosum.*  
 Hoc cogitando persequamini ad salutemque animorum Vestrorum  
 transference per hos dies in primis, ut et ipsi sitis templo Spiritus  
 Sancti & dignitatem Filiorum Dei doctrina & exemplis ad quam-  
 plurimos propagetis. P. P. pridie sollemnitatis Pentecost.

A. MDCCCLXXXVIII.



Fe 4194

ULB Halle

002 623 889


3



SB

Retrov





35  
IO. AVG. NOESSELTI

D E

V E R A V I N O M I N I S  
F I L I O R V M D E I

D I S P V T A T I O

A C A D E M I A E H A L E N S I S N O M I N E

I N S O L L E M N I T A T E P E N T E C O S T A L I

S C R I P T A.

---

HALAE MAGDEBURGICAE,  
FORMIS HENDELIANIS A. MDCCCLXXVIII.

